NEEDHAM

DE INSCRIPTIONE QUADAM ÆGYPTIACA

1761

UNIV OF
TORONTO
LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/deinscriptionequ00need

375 d

DE INSCRIPTIONE QUADAM ÆGYPTIACA TAURINI INVENTA


ET CHARACTERIBUS ÆGYPTIIS OLIM ET SINIS COMMUNIBUS EXARATA

IDOLO CUIDAM ANTIQUO IN REGIA UNIVERSITATE SERVATO

AD UTRASQUE ACADEMIAS LONDINENSEM ET PARISIENSEM

RERUM ANTIQUARUM INVESTIGATIONI ET STUDIO PRÆPOSITAS

DATA EPISTOLA



ROMÆ MDCCLXI.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

TYPIS NICOLAI, ET MARCI PALEARINI

PUBLICA AUCTORITATE

63611 / 11/11/84

CELSISSIMO REGIOQUE PRINCIPI

VICTORI AMADEO

DVCI SABAVDIAE &c. &c. &c.

NOVO GERMANICO

DELICIIS POPVLI SVI

AEGYPTIACAE ANTIQVITATIS STVDIVM

MISSIS, VT EIVS DESIDERIO SATISFIERET,

A REGE IN ORIENTEM INDAGATORIBVS

BENEVOLENTIA VERE EXIMIA ET SINGVLARI

IAM PROMOVENTI

INSCRIPTIONIS AEGYPTIACAE

TAVRINI IN MVSEO REGIO SERVATAE

INTERPRETATIONEM

ET

INVESTIGATIONES

SVPER EA FACTAS

D. D. D.

HVMILLIMVS, ET OBSEQVENTISSIMVS SERVVS

TVRBERVILLVS NEEDHAM

EX SOCIETATE REGIA

LONDINENSI

CELEBERRIMIS

ACADEMIIS

LONDINENSI, ET PARISIENSI

RERUM ANTIQUARUM

INDAGATIONI, ET STUDIO PRÆPOSITIS

Illustrissimi Academici

ANIMUM mihi non parum commovit nuperrima præfatio operi, quod jam jam in lucem prodiit præfixa [1]. Quis non indignaretur rem tanti momenti facetiis, nullius penè ſaporis, ſcurrarum, & mimorum more tractari. Mendaciis Sinenſium a nobis longo maris, terræque tractu diſſitorum per fas, & nefas utcumque litandum eſt, ut proteratur Sacrorum Codicum auctoritas, & hiſtoria fabuloſa prorſus,

1 *Hiſtoire de Pierre le grand Empereur de Ruſſie.*

ſus, vel ipſis Sinenſibus fatentibus, ubi agitur de illius Imperii principio, & antiquitate, obſervationibus aſtronomicis, ipſum anteuntibus diluvium, muniri falſo dicitur, cum prima ab ipſis Sinenſibus eclypſis deſignata coæva ſolum ſit circa circiter vocationi Araham. Qui contra ſentit, imbecillitatis illi nota inuritur, miſerum aliquod in triviis plebi diſperditur carmen, vanitatis arguitur, & dicteriis impetitur, quorum in dies erumpens ad nauſeam uſque creſcit multitudo; nec ſolus Scurra Pantolabus, irriſoribus ſcatet Europa, ut locuſtis Aſia, & ſcomma pro omni argumento eſt; peccatum non infrequens hoc, ne dicam Sæculi, quantumvis faſtuosè incedat, & philoſophiam prætexet turba hominum ratione furens, & mentem paſta deliriis. Luditur in nomine, dicteriis, & epigrammatibus res agitur, Salus Populi,

puli, ſuprema lex, Pharmacopolis, Mimis, Nepotibus dijudicanda, & definienda traditur, omne breve dictum ſale aliquo conditum pro oraculo eſt, ipſaque Religio condemnatur more inſolito, quo non cuperet vel abſolvi. Cæterum ſi vapor ſit horum Virorum halitus, qui ſcientiam ſibi arrogant univerſalem, flores, & fructus nobiliſſimos rubigine inficiens, melius ſanè omninò erit pauca rectè, & firmiter ſcire, quam multa fatalibus mixta erroribus. Veritati tam indignè, & indecenter obrutæ aliquatenus ſuccurrendum duxi, manuſque porrigendas Viris, qui tam benè de republica literaria meriti fuerant; indicaſſe ſufficiat, ſat Orbi litterario & ipſi, & quem habent in hac re Adverſarium, noti ſunt. Arma undique conquirenti occurrit Taurini Inſcriptio ignoti prorſus generis fronti, naſo, ge-

nis, mammelliſque Simulacri cujuſdam ex marmore nigro confecti exarata, quod verè Ægyptiacum marmoris ſpecies, capitis ornamenta, ſculpturæ ſtylus, frons, facies, & pectus caracteribus exarata, totius denique figuræ compta quædam ſimplicitas, & elegantia declaravere, quam & *Iſidem* diu denominaverant illius gentis Antiquarii. Inſcriptionem ſæpius videram annis ab hinc decem, ſed non hiſce oculis; oculorum aciem ſimul & exquirendi vim mihi acuerat Dicacis famam tam infæliciter captantem indignato præfatus Auctor. Hanc inſcriptionem ſedulo in chartam transferendam duxi, ſimul & ſimulacri imaginem delineandam curavi. Me movit poſtquam paululum in hac inveſtigatione proceſſerim, non ſola characterum inſpectio, quos intento animo ſæpius conſideravi, quique quam proximè

mè quorumdam characterum Sinenſium, quos olim videram, ſimilitudinem, ac ſpeciem referebant, ſed & illorum ordo, diſpoſitio, & ab invicem disjunctio. Hinc facilè colligebam unumquemque verbi vim habere ſeparatim ad morem Sinenſium. In Scripturis Alphabeticis multi characteres ad unam vocem formandam ſimul coeunt, & recurrit ſæpius ejuſdem characteris combinata repetitio; hic nulla talis combinatio, nulla niſi duorum ex omnibus characterum repetitio, qui & disjunctim a cæteris prorſus ſtabant. Gnoſticis verò Baſilidianis, & Valentinianis hæreticis, qui in aſtrologicis olim tam pueriliter luſere, hos characteres attribuere, & ſcalpelli perfectio, & operis compta elegantia ab illorum temporum artificio longè diverſa prohibuere. Huc acceſſere obſervationes ſuper hac re tam fæliciter ſimul, & ingenioſè

ſe a ſummis viris Dominis de Guignes, de Barthelemy, & de Smidt jamdudum inſtitutæ. Hi facem inveſtigationi huic omnino prætulere, nec ſine illis in mentem mihi incidiſſet forſan vel minima hujus rei ſuſpicio. Hoc fateri non erubeſco, quicquid dixerit cui horum Academicorum induſtria, & in obſervando vis deſpectui eſt; nec enim omnibus datum eſt ſentire omnis generis argumentorum vim, nec noverunt hi homines maximi momenti inveſtigationibus præluxiſſe ſæpenumero obſervationes tantæ, ut ita dicam, ſubtilitatis, ut oculorum aciem, ſi paulo ſit hebetior, vel plane effugiant, vel organi diminutæ vitio debiliter ſatis afficiant.

Cæterum quod me magis immediatè tunc temporis Taurini affecit, & in hanc injecit ſuſpicionem directè, ſimul & in diſquiſitio-

tionem , quam inſtitui , inſpectio fuit nuperrima duorum voluminum, quæ antiquitatum Herculanarum deſcriptionem continebant. Tot picturæ ſimul in unum intuitum coacervatæ Architecturam omni modo variatam , & ornamenta diverſi generis ex Ægypto derivata referentes , quæ ſtylum eodem tempore Sinenſem planè redoluere , intimam illarum Gentium unionem , & commune ſocietatis vinculum, vel colonia facta ab una ad alteram regionem, vel unitis commercio Nationibus ad oculum demonſtravere . Percurrat hoc intuitu candidus quicumque ſimul & oculatus Judex , ſecumque videat , ſi caſu tanta rerum , & ſtyli ſimilitudo accidere potuerit . His adijciat multa alia ad rem pertinentia ex variis Auctoribus colligenda , qui artium, & ſcientiarum originem ſcrutinio ſatis

ſatis exacto ſubjecere, & nominatim, ut multa alia omittam, artem antiquiſſimam chartam ex papyro, qui cannæ genus eſt, conficiendi, quæ uſque hodie apud Sinas viget.

Per litteras igitur ad Civitates Pekini, vel Quantong datas quæſtionem, quam mihi propoſueram, unice reſolvendam ſperaveram, ſimul & traſmittendam quantocyus ſtatueram; rem tanti momenti Romæ reſolvi poſſe non occurrit vel minima ſuſpicio. Interim mihi gratulor, quod non profunde nimis in his rebus verſatus fuerim, ſimul quod & hæc ſtudia ſatis ingrata ſolum pro re nata amplexus fuerim, aliis mihi potioribus magis ſemper intentus; etenim ſi plus juſto forſitan ſapuiſſem, e puteo, quo jacebat obruta, non prodiiſſet veritas. Ecce mihi oblata ſuper hac re ſententia Antiquarii cujuſ-

juſdam, ad omnia parati, & cui aliquid aliquando ignorare pudori forſitan eſt: *La figura è di baſſi tempi appartenente agl' errori de' Gnoſtici, e Valentiniani; i caratteri ſono arbitrarj, e de' medeſimi tempi; i Chineſi antichi, e moderni non hanno caratteri di figure composte; li Egizj non hanno mai formata Deità in queſta maniera*: Hoc nodum eſt illico Alexandri more ſolvere, & ſi in omne myſterium ſimul paratus quæſtiones hujuſce generis ex tempore, & ſine ſtudio reſolvendi in me munus ſuſcepiſſem, forſitan huic oraculo vel acquieviſſem, vel ex penu meo aliquid non abſimile ſtatim deprompſiſſem. Ignorantia mea in multis mihi ſatis nota, & naturalis quædam diffidentia inquiſitioni ulteriori locum præbuit. Fors mihi obtulit Sinenſem Pekino natum, in Bibliotheca Vaticana libris, & manuſcriptis Sinenſibus præpoſitum huic

[1] huic inſcriptionem ſtatim Romam adveniens exhibui, ſed nihil prorſus aſpectu primo intellexit, quippe cui recentiores ſolum ſuæ Gentis characteres familiares fuerant; interrogabam, an & veteres priorum temporum ſcriptores, quorum magna apud Sinenſes Litteratos copia eſt, iiſdem ac recentiores characteribus uſi fuiſſent, reſpondit, alios omnino a recentioribus aliis temporibus characteres in uſu fuiſſe, qui in lexicis ad hoc inſtitutis quærendi eſſent, ut apud nos obſoleta verba, & inſcriptionem ſecum domi retulit maturius examinandam. Poſt aliquot dies regreſſus duodecim mihi Characteres Simulacro Taurinenſi inſculptos ex toto numero extractos cum interpretatione latina retulit, quos invenerat in lexico Sinico


1 *Joſephus Lucius Vû in Bibliotheca Vaticana Scriptor Sinenſis, & Codicibus Sinenſibus tam manuſcriptis, quam exaratis præpoſitus.*

Sinico ſatis amplo viginti ſex volumina complectente, quod tempore Kang-hi Imperatoris verſus finem poſterioris ſæculi Pekino exaratum fuit, & donatum Bibliothecæ Vaticanæ ab Eminentiſſimo Cardinale Davia jam defuncto.

Si cui deſiderium ſit inquirendi quo modo linguæ Sinenſi, quæ characteribus totidem verba disjunctim ſignificantibus, non litterarum Alphabeticarum combinatione exprimitur, fabricari & inſtitui poterit Lexicon, noverit ordinem characterum ex numero linearum, quibus quiſque conſtat, deſumi a maxime ſimplicibus ad magis compoſitos ſenſim procedendo.

Hoc ſucceſſu quantumvis elatus non ſtatim cauſam duxi finitam; adhibendi erant teſtes oculati orbi litterario bene noti, & comparandi quam exactiſſime characteres,

res ſinguli cum ſingulis, tam hi quos exhibet Inſcriptio Ægyptiaca, quam illi prorſus iidem, quos invenerat Interpres Sinenſis in lexico Sinico. Nulli magis noti, quam R. P. Jacquier ex Ordine Minimorum cujus commentaria in Newtoni principia toti Orbi innoteſcunt, & doctiſſimus ſuæ Sanctitatis Clementis XIII. antiquarius Dominus Venuti. Hiſce poſtea meis præcibus ſe adjunxit pro ſumma ſua humanitate Dominus Wilcocks Anglus vir probatæ eruditionis ſimul, & ingenii, qui hanc inveſtigationem totis viribus promovit, & mihi magno adjumento fuit. Res votis plane ſucceſſit, & characteres hi duodecim hinc illic comparati, ſinguli cum ſingulis, iidem prorſus utrobique in apertam prodiere lucem. Quod autem ad interpretationem attinet, hæc characteribus recentioribus in Lexico ſimul appoſitis,



Inscriptio Ægyptiaca antiquiſsima exarata ſimulacro ex marmore nigro Ægypti confecto, et aſservato Taurini; quod Deam Iſidem, ut volunt plurimi, repræſentat

caracteres antiqui ægyptiaci, & ſinenſes		caracteres moderni ſinenſes.	Lexicon magnum ſinicum.
1	Frons	額	Pag. 33. vol. 16.
2	tam	是	Pag. 37. vol. 2.
3	lata est	長	Pag. 19. vol. 13.
4	Oculi	目	Pag. 81. vol. 20.
5	sunt cærulei	青	Pag. 61. vol. 18.
6	Alba est	白	Pag. 15. vol. 19.
7	Facies	面	Pag. 18. vol. 3.
8	Unum sive pmũm	一	Pag. 5. & 3. vol. 3.
9	Persona	人	Pag. 18. vol. 6.
10	Magna	大	Pag. 41. vol. 1.
11	Hæc est	即	Pag. 81. vol. 20.
12	Figura ejus	像	Pag. 40. vol. 21.
13	Longitudine palmaſ	長	Pag. 1. vol. 6.
14	Magnas	大	Pag. 41. vol. 1.
15	Marmoreas	石	Pag. 25. vol. 4.

caracteres antiqui		caracteres moderni	Lexicon ſinicum
16	cum dimidiâ habebat	半	Pag. 60. vol. 9.
17	novem	九	Pag. 47. vol. 2.
18	ejusdem generis	是	Pag. 37. vol. 2.
19	coloris nigri,	黑	Pag. 18. vol. 6.
20	Nimiſ aut valdè	狠	Pag. 38. vol. 10.
21	Pulchra	好看	Pag. 1. vol. 5.
22	Priùs erat	先	Pag. 4. vol. 3.
23	Præſenti tempore	如今	Pag. 72. vol. 12.
24	tanquam	如	Pag. 55. vol. 2.
25	Dea	后	Pag. 81. vol. 2.
26	Colitur	拜	Pag. 40. vol. 2.
27	shi (hoc nomen proprium est vel Deæ hujus, vel illius Regis, qui erexit statuam)	始	Pag. 57. vol. 22.
28	soii	四	Pag. 11. vol. 23.
29	chi	治	Pag. 17. vol. 3.

poſitis, ut nobis ajebat Interpres, & ſynonymis, quibus jam utitur natio Sinenſis, ipſo Interprete ſenſum præbente innotuit. Satisfactum planè nobis erat, & ulterius procedendum in hoc ſcrutinio decrevimus, non ſine plena ſpe omnes alios ſimiliter characteres, quibus conſtabat Inſcriptio, induſtria adhibita, & improbi laboris vi inveniendi; tres vel quatuor dies alii nos voti compotes reddidere: ad Bibliothecam Vaticanam regreſſis cæteros omnes characteres, quos paginis ſimul, & lineis, codicibuſque deſignatis in chartâ antea notaverat, monſtravit in eodem Dictionario Interpres Sinenſis, & ſenſum ſimul totius Inſcriptionis Ægyptiacæ reddidit.

Novi credulitatem in multis, in aliis incredulitatem eorumdem hominum; in fabulas, quas ex ſuo penu deprompſere, ſæpè prorſus pue-

riles proni, veritates arduas rejiciunt, invias non ſapiunt, nec peccatum hoc indoctorum ſolum, imò docti ſuis præjudiciis non carent, nec erroribus, quos avidè amplectuntur, & fovent; hæc præjudicia tollit, vel diminuit diſciplina philoſophica, ſi ſuis limitibus contineatur, ſed raró nos ab omnibus eximit; *Iliacos intra muros peccatur & extra*. Si veró, ut ſæpenumero fit hodie, qui his ſtudiis deditiſunt *in contraria currant*, non Philoſophos hos, nequidem homines nominaverim:

Hoſtem dum fugeret ſe Fannius ipſe peremit
Dic mihi quis furor eſt ne moriare mori? Martial.

ideo teſtes in hac re adhibui, viros bene notos, & fide digniſſimos, quorum teſtimonium recuſari nequit, & hi nomina ſua appo-

poſuere ; paginas inſuper , & tomos Dictionarii Sinici ſingulos exhibentes characteres indicavi in tabula , quæ ſimulacrum Ægyptiacum cum inſcriptione ſua delineatum repræſentat ; In promptu apud Bibliothecam Vaticanam toti orbi litterario apertam ipſum Lexicon eſt , & quamvis paginæ lingua Sinica numerentur , quam communiter Europæi ignorant , tamen tomis in margine codicum romano more numeratis , cum unuſquiſque codex non multa contineat folia, facilis eſt labor , ſiquis incredulus hoc velit , paginam indicatam in tabula ſine Sinenſi Interprete inveſtigare . Character quæſitus inter multos alios , quos exhibet folium , oculo intento , & lineatim paginam percurrenti , cum unuſquiſque character ſeparatim ſtet a ſuo vicino ſat diſſitus , æque faciliter ſe prodit ; poteſt verò hoc lexicon

in uſum etiam Europæorum facile redigi; ab autographo enim a ſinenſi interprete facto, in quo latinam unicuique characteri Sinenſi interpretationem apponere licet, non multo labore, nec multis impenſis exarari poterint in ligno tabulæ ad morem Sinenſium, & multa inde exemplaria in publicum uſum dari Viginti ſex volumina, ſeu codices continet hoc opus, ſed tenues ſatis, & non plures forſan in unoquoque volumine, quam centum circiter folia. Sine Sinenſi Interprete in ſtatu præſenti nullius plane eſt nobis uſus; hoc vero ſi fiat, publici juris erit, & omnibus, quæ ſuperſunt Ægyptiorum monumentis applicabile; ſed de his ſatis vel ſceptico pertinaciſſimo; pauca de Inſcriptione ipſa, & interpretatione appoſita percurrere libet. Simplicem vero narrationem pro præſenti

ſenti tempore inſtituere volens, hujus inveſtigationis momentum, omni alia inquiſitione amota, cæteriſque pene intactis, quæ ad rem pertinent, doctis Europæ Antiquariis, Vobis ante omnes alios, illuſtres Academici, quo debite ponderetur, relinquendum cenſeo.

Maxime igitur notatione dignum arbitror, quod & omnem hominem, ad quem hæc ſcripta perveniunt, ut diligenter ſecum perpendat, moneo, alterius omnino naturæ eſſe, & diverſi plane momenti inveſtigationem characterum prædictorum, qui hoc Lexico Sinico probantur olim Ægyptiis ſimul & Sinenſibus communes fuiſſe, ab ipſorum interpretatione appoſita. Ab hac veritate unicè pendet controverſia ſepoſita plane, utcumque hæc ſe res habere poterit, interpretationis fidelitate. Inveſtigatio characterum, ſive

comparatio facta, ut eoſdem planè utrinque fuiſſe conſtaret, plurimorum oculato teſtimonio gaudet, & omnibus omni tempore methodo a me jam propoſita innoteſcere poterit. Explicatio vero Inſcriptionis Ægyptiacæ, quam appoſui, ab unius Sinenſis Interpretis auctoritate pendet, cum lingua Sinica nec mihi, nec meis amicis, qui ſimul mecum in hoc ſcrutinio collaboravere, nota ſit; nec mei intereſt ſi hujuſce hominis utcumque fide digni rejiciatur in hac re teſtimonium; mihi ſufficit, & omni alii cuivis veritatem ſerio indaganti characteres Inſcriptionis prædictæ omnes in Lexico Sinico cum jam nominatis teſtibus inveniſſe, & vidiſſe tales prorſus ſine vel minimo dubio hinc & illinc exaratos. Cauſa finita eſt, nec ullus dubitabit Ægyptios olim, & Sinenſes communi ſocie-

tatis vinculo obſtrictos fuiſſe, ſi non & communi gaudeant origine, & una natio non ſit ſurculus exciſus ab altera. Soli hominum curioſitati litavi igitur inveſtigata ſedulo ſimul, & in publicum data litterali prorſus, quam apponi volui, characterum Ægyptiacorum interpretatione latina cum characteribus Sinenſium recentioribus, & ſinonymis.

Nec male inferat exinde quis me vel minimum dubitare de fidelitate Interpretis; quod me hoc modo contra litigioſos præmuniverim, rem paucis accipite. Maxima apud plurimos Sinenſium auctoritas eſt, ipſaque Scriptura & communi aliarum gentium traditione veraciores volunt, qui æternitati Mundi cum Ariſtotile, vel ignotæ ſaltem origini famulantur, & Sacri Codices, ut deſpectui ſint vehementer ſatagunt; intereſſe ta-

men poterit aliquando eorumdem, qui non ſolum in nullius magiſtri, ſed nec in ſua verba jurant, Sinenſes cum Anſono noſtro inter homines, & flagitioſiſſimos, & mendaciſſimos tanquam nulla fide dignos depingere, ſi erroribus ſuis, quos omni modo fovent, obſiſtere vel minimum deprehendantur.

Quo teneam vultus mutantem
Protea nodo?

Ideo Sinenſis Interpretis cauſam a mea omnino ſeparatam volui, ideo & illius teſtimonium ab aliorum teſtium auctoritate in hac lite irrefragabili caute ut ſepoſitum ſit exigo. Cæterum de Interpretis veracitate, & interpretationis fidelitate nullus dubito, imo & ut hoc mihi perſuadeam, multæ ſimul rationes ſatis fortes concurrunt.

Simulacrum, de quo hic agitur, nec viderat unquam, nec de materia illius quidquam noverat, imo nec

nec de forma; aliud, quam quod minuſcula ſuper chartam delineatione non adumbrata apparuit; interpretatione tamen ab illo data innotuit illico & lapidis, ex quo confectum erat ſpecies, & color, menſura inſuper Statuæ prototypi, unde deſumptum erat, quæ ſat exactè correſpondet latitudini frontis in ectypo, quantum ſolo intuitu mihi judicare fas eſt.

Rurſus, hiſtoriæ Ægyptiacæ, & rerum antiquarum expers planè erat, ut mihi ſatis conſtabat, nec hujus controverſiæ inter doctos natæ de ſuæ Gentis origine ullam, vel minimam ſuſpicionem habebat; attamen reſtantibus adhuc tribus characteribus ſimul cum aliis in Lexico Sinico inventis, quorum nullum ſenſum reddere valebat, quoſque nomen proprium alicujus perſonæ referre ſuſpicabatur, cum ſonum ab ipſo horum characterum quærerem,

rem, prodiit nomen plane Ægyptiacum *Shi-Sou-Chi*; cujus ultima ſyllaba *Chi* ad morem *C* italorum pronuncianda eſt.

Inſuper, ut ipſius peritia ſaltem in characteribus Sinenſium recentioribus, quod neceſſarium plane interpretationi erat, innoteſceret, columnam ſynonymorum ad hodiernam illius Gentis normam apponi antiquis characteribus ab ipſo volui, quod & illico currente calamo fecit; & ſi parum utilitatis inde mihi & lectoribus ultra proveniat, ſaltem hoc lucro fuit, quod character antiquus naſo Simulacri exaratus, qui numerum I. exprimit, omnino idem ſit cum charactere recentiori, cujus extat adhuc uſus apud Sinenſes; nec multum differt character antiquus Ægyptiacus, quo exprimitur numerus 9. a recentiori Sinenſi. Hoc notatione digniſſimum eſt non ſolum, quod

quod confirmet cum aliis commune ſocietatis vinculum, quo Sinenſes olim & Ægyptii obſtricti erant, verum & characterum tam Sinenſium, quam Ægyptiacorum a ſignis Symbolicis derivationem, ut extenderetur magis, & perficeretur hoc primum ſcripturæ genus, demonſtret; *Sagitta* quippe, quam character hic refert inter ſigna ſymbolica non infrequens eſt, & *Serpens* ſive character ſerpentinus, quo exprimuntur in inſcriptione Taurinenſi *ſimilitudo*, ſive *identitas*, vere ſignum ſymbolicum eſt duodecies ad minimum exaratum Obeliſco magno, qui dicitur Seſoſtris, & fuit Auguſti Cæſaris olim in Campo Martio erectus, nunc Romæ jacens; multoties vero videri poterit idem ſignum ſuper alia monumenta Ægyptiaca. Hoc ad cognationem characterum, & ſymbolorum demonſtrandam plane ſufficit,

cit, illudque ſcripturæ genus probat non eſſe niſi hujus extenſionem.

Verum ut ad Inſcriptionem ipſam convertamus animum; ex illa ſatis conſtat hoc ſimulacrum, cujuſcumque ſit, ectypon eſſe alicujus ſtatuæ primitivæ, cujus frontem, faciem, oculos, perſonam, & menſuram eadem deſcribit Inſcriptio; Facies vero & oculi adſcititii ſine dubio erant ex alia quadam materia formati, cum corpus, vel ſubſtantia ſtatuæ dicatur eſſe marmoris nigri ejuſdem generis, ac marmor, ex quo conficitur ectypon. Nec hoc apud antiquos, etiam quoad oculos, inſolitum erat, multæ adhuc comparent hodie ſtatuæ quibus oculi gemmei, vel vitrei olim inſerebantur, aliæ quorum facies, & voluta, qua circumveſtiuntur, diverſa ab illa aliarum partium materia conſtat.

Nu-

Numerus I. inſcriptus naſo ordinem inter multa ſimulachra indicare videtur; hæc igitur Dea, ſive in templo aliquo, ſive in alicujus Principis palatio primum locum tenuit. Aliquid huic ſimile videre eſt in villa Negroni Romæ, ubi baſi ſtatuæ truncæ inſcribitur græcè nomen Themiſtoclis, quod precedit numerus Romanus I., exaratus forſan juſſu Domini, cujus erat, poſtquam Romæ advenerat.

Nec Ægyptiacum quis malè cautus, ubi nihil opus eſt, dubitet hoc Idolum, nec Sinenſe ſuſpicetur. Ægyptiacum planè demonſtrat marmoris ſpecies non perfectè nigri, verum maculis minutiſſimis albis intertexti, quæ pro majori parte oculo ſeparatim vix viſibiles, multitudine tamen colorem quaſi cinereum petræ imprimunt. Ex hoc marmoris genere Ægypto peculiari conficiuntur ſphinges plurimæ, &

mul-

multa alia illius gentis monumenta indubitata. Huic accedunt ſculpturæ ſtylus, ut modò dixi, capitis ornamenta, vultus forma, & characteres faciei pectorique exarati, nec de hac re unquam dubitavere rerum antiquarum ſtudioſi, quibus viſu hoc innotuit Idolum, pro Dea *Iſide* multoties acceptum, nec dubitabunt, niſi diſquiſitionis, quam ſuper hac re ſatis fæliciter inſtituimus, ſucceſſus, & fama homines naturaliter in his rebus incredulos in dubia præcipitet nova, & ad omne pellat ſubterfugium, potius quam ut veritatem, quam averſantur, amplecti cogantur.

Ignoſcite, Illuſtres Academici, non vos, ſed viros novos, penſiculatè ſuſpicioſos, & quaſi inſenſibiles adloquor; humanitatis eſt infirmitati horum hominum, qui deficiente ingenii acumine vim in hebetudine collocant, & quia nihilo moven-

ventur, quod ſenſus merè materiales tranſgreditur, ſe fortes eſſe opinantur, quantum fas eſt, indulgere. Utique ſi ſimulacrum hoc, quod triginta plus ab hinc annis Univerſitati Taurinenſi donatum fuit a Rege Victore Amadeo, & quod antiquiſſimis, non recentioribus Sinenſium characteribus exaratur, ementitum eſſe velint, ut a primis temporibus conſecrata religionis monumenta omnis generis falſa eſſe, & conficta contendunt audacter aliqui, numquid & Obeliſcos adhuc Romæ conſiſtentes in malum aliquem finem olim fabricatos fuiſſe ſuſpicabuntur? Scepticorum incircumſcripta mens nullos novit limites, nec metam. Hæc inter nos agitabantur Romæ joca; inſtare nihilominus ſuper hac re ſeriò fortiuſque libet, non ut Obeliſcorum antiquitatem evincam; hoc aliorum ſit, ſi res poſtulaverit, munus; ſed

ut Obeliſcos, & ſimulacrum hoc Taurinenſe vel utrinque verè antiqua, & Ægyptiaca, vel utrinque ementita eſſe contendam; & ſi huic non cedant argumento, me parum admodum, ut in aliis multis mihi jamdudum mos eſt, quidquid velint, vel dixerint de hac re movebit; *qui vult decipi, decipiatur*.

Nonnulli ex characteribus huic ſimulacro Taurinenſi inſcriptis inveniuntur miſti ſignis ſymbolicis, & ſphingibus, Obeliſcis, ſtatuis, aliiſque monumentis Ægyptiorum Romæ jam conſiſtentibus exarati. Quatuor multoties, & planè ſimiles quinto, characteri inſcriptionis Taurinenſis a capite columnæ in tabula appoſitæ, ſeptimo, nono, & decimo, ego & alii ſimul obſervavimus, ut non loquar de duobus ſymbolis *Serpentis*, & *Sagittæ*, nec de aliis tribus characteribus, qui imperfectam ſolummodo utrin-

que

que ſimilitudinem referunt. Conſulendi ſunt omnes Obeliſci inſcripti Romæ, duæ ſphinges villæ Burgheſianæ in area domus poſteriori, duæ Statuæ Ægyptiacæ in villa Albani, & alia monumenta, ut hæc veritas oculis innoteſcat.

Quatuor vero jam inveniſſe præter duo ſigna ſymbolica ex viginti novem ſolummodò characteribus, quibus conſtat Inſcriptio, ſi combinati accipiantur, (ut combinari debent aliqui ad modum, quo ſimiliter combinantur in dictionario Sinico) vel ex triginta duobus ſimplicibus, ſi ſeparatim ſumantur, quis expectet, ſi conſideret rationem, quam præ ſe ferunt triginta ad triginta forſitan mille? Nec pauciores numero credam fuiſſe characteres apud Ægyptios olim, incommodum quod Alphabeti inventionem genuit, cum Sinenſis lingua jam continere aſſeratur ſexa-

ginta, vel ſeptuaginta mille, numerum, ad quem pervenire dicuntur aliqui ejus gentis Doctores. Hi cum aliis forſan inveniendis, adhuc enim levi ſatis induſtria in hanc rem inquiſivi, omne mihi dubium eximit de ortu, & patria tam Inſcriptionis, quam ſimulacri Taurinenſis.

Qui vero Simulacrum hoc Sinenſe forſitan eſſe volunt, illis ſculpturæ ſtylum, ſi quid de his rebus noverint, ornamentorum genus, oculorum ſitum rectum, non obliquum, vultus denique totius characterem penſitanda, & perpendenda relinquo. Si hæc, ut fidem præſtent veritati non ſufficiant, noverint inſuper Idolatriam apud Sinenſes multis ſæculis poſteriorem certò eſſe hoc Idolo. Religio enim numinis falſi Fo, nonniſi longo poſt Chriſtum natum tempore, ipſis hiſtoricis illius gentis omnibus teſtantibus, novem circa circiter, ni fallor,

lor, ſæculis ab indis invecta in chinam penetravit; nec tale aliquod Idolum exhibet in toto imperio templum aliquod horum hominum, ſi fides auctoribus ſit habenda, qui de hac re tractavere, & formas nobis Deorum Sinenſium exhibuere. Nimia induſtria forſitan rem tetigiſſe videor, ſed palpabili quodammodo veritate mihi opus erat, & in vertiginem ſcepticiſmi, qua circumaguntur tot jam homines, *ſuos enim quiſque patitur manes*, delapſus, dum non adhuc audita refero, omnibus viribus in remigando, ut cum mercibus evadam, contendendum eſt; verum navigationis nondum hic finis eſto, ſi venti ſecundent proſperi.

Novus etenim mihi, & illimitatus in dies ſeſe campus aperit. Aſtronomiam antiquiſſimam, & apud Sinenſes, & apud Ægyptios novimus, exinde mihi ad hanc rem ma-

gis adhuc elucidandam exorta eſt firma perſuaſio, quod characteres Ægyptiorum antiqui, qui rebus aſtronomicis inſervierunt, qualeſque ſæpe amuletis, & ſigillis omnis generis hic Romæ inveniuntur exarati, adhuc in uſu apud Sinenſes inveniri poterint. Horum uſus quippe magis ſtabilis eſt, & mutationi minus ſubditus, cum a doctis tranſmittatur ad doctos, quorum accuratio major eſt, quam illa multitudinis, nec populo hi ſelecti characteres, & ſcientifici inſerviunt integro. His confiſus tres characteres Ægyptiorum antiquos rebus inſervientes aſtronomicis, qui ſoli adhuc mihi in manus inciderunt, primo quaſi intuitu cum R. P. Jacquier in libro Sinenſi aſtronomico, qui in Bibliotheca Collegii Propagandæ Fidei hic Romæ ſervatur, inveni, quorum duo quam ſimillimi, alter penè ſimilis extitere. Dum ſic omni
modo

modo res non animis ſolum, ſed & oculis obverſatur, lux majori radiorum undique concurſu emanabit fortior.

Aliud mihi, in mentem incidit propoſitum hujus aliquanto diſpar, longius extenſum, magis utile, ſed ad idem quaſi recidens. Characteres penè innumeros quotidie hic Romæ invenio mixtos ſignis ſymbolicis, & undecim Obeliſcis inſcriptis jam Romæ extantibus, humanis figuris, ſphingibus, leonibus, & aliis ſtatuis exaratos. Horum monumentorum quædam publici juris ſunt, alia ad nobiles ſimul & privatos multos pertinent, ſed ad omnia ſat facilis eſt acceſſus. Obeliſcus maximus, qui nunc jacet proſtratus, & confractus, olim vero ab Auguſto erectus fuerat in Campo Martio, ut Gnomonis vices ageret horologio circumſcriptus ſolari, omnium antiquiſſimus, & Seſoſtridis

eſſe creditur. Hic penè totus pluri-
ma multitudine exhibet ſigna ſym-
bolica, & ſatis paucos characte-
res. Alter vero Obeliſcus, qui ante
Lateranenſem Eccleſiam erigitur, &
coævus obſidioni Trojæ eſſe creditur
a Conſtantino Magno eſt invectus
Alexandriam, ut ad Conſtantinopo-
lim indè tranſveheretur; poſt mor-
tem vero Patris Romam ab uno ex
Conſtantini filiis tranſlatus eſt. Hic
ſimiliter ſymbolis abundat, paucis
vero characteribus gaudet. Tertius
Obeliſcus minutioris multo molis,
quem diligenter obſervavi in hortis
Medicæis, penè totus ſymbolis exa-
ratur, & nonniſi duos characteres
exhibet, quorum unus multoties
in omnibus aliis hujus gentis monu-
mentis, quæ Romæ extant, repe-
titus idem eſt ac decimus in inſcri-
ptione Taurinenſi, & magnitudi-
nem perſonæ alicujus vel rei ſignifi-
cat. Nec mirum; hæc utique idea

ſat in his rebus obvia, cum comparativa planè ſit, non facilè ſigno merè ſymbolico exprimitur, ſed charactere indiget arbitrario. His addi poterit menſa Iſiaca, quæ Taurini in Regis palatio aſſervatur; hæc tota quaſi ſymbolis oppleta paucos ſatis benè definitos continet characteres. E contrario vero alia ſunt & multa Ægypti monumenta Romæ, quæ characteribus abundant, & minori multò numero, ſive proportione ſigna ſymbolica exhibent. Hujus generis ſunt duæ ſphinges villæ Burgheſianæ, & duæ ſtatuæ Ægyptiacæ in villa Albani, quarum una, quæ flexis genibus ſuſtinetur, non ſolum plures characteres dorſo exaratos, ſed ad baſim duas lineas integras ex puris quaſi characteribus compoſitas continet. Alia multa ejuſdem planè generis nuperrimè monitus fama adhuc non viſu mihi innotuerunt. Inter ea an-

numerandus eſt Obeliſcus, qui templo, quod *Pantheon* dicitur, adſtat, quem exacto non adhuc ego ipſe ſubjeci examini, ſed non raris inſcribi characteribus & paucis admodum ſymbolis ab aliis fide digniſſimis didici.

Hinc ſatis facile mea opinione colligitur, quod & naturæ rei convenit, antiquiora illius gentis monumenta nullos, vel pene nullos, ſi cum ſymbolis comparentur, exhibere characteres, puris vero quaſi conſtare ſignis ſymbolicis; quoniam enim ſenſu antea quiſque quam mente utitur, primum Scripturæ genus, ut & nuper apud Mexicanos invenimus, ſimbolicum plane erat, & picturæ quædam ſpecies. Hoc ſimplicitati priorum temporum ſat conveniebat, hoc & intellectui humano in materiales prius & ſenſibiles ideas erumpenti, in quas, ſi animales quidam, ut ita di-

dicam, ex recentioribus auctores prævaleant, videtur ſenio quaſi confectus velle reverti, plane tunc ſufficiebat: progreſſo vero ulterius in moralia magis, & metaphyſica, lingua ſimul ſe ſenſim magis & magis in dies perficiente, characteres omnino neceſſarii erant arbitrarie aſſumpti, & ideo magis liberi, donec omni ſoluto tandem vinculo evanuere ſigna ſymbolica, & in characteres puros ad morem Sinenſium, vel in Alphabetorum elementa varie ad libitum combinanda abjere, vix ullo prioris ſtatus relicto tractu, vel memoria, ad hoc planè reveniunt, quæ Clemens Alexandrinus de vario ſcribendi genere dicit, quod in uſu olim apud Ægyptios fuit, loquens de Hieroglyphica, id eſt, ſacra illius gentis ſcriptura: „ unam „ ſpeciem utique per prima ele„ menta *Κυριολογικὴν*, ideſt pro„ prie

„ prie loquentem nominat, alte-
„ ram vero ſymbolicam, ideſt,
„ per ſigna ſignificantem aſſerit [1].

Quid igitur prohibet, quin explicationi harum omnium inſcriptionum, quæ jam Romæ extant, quantum fas eſt, applicetur idem Lexicon Sinicum? hujus rei qui ſit expectandus ſucceſſus, quæ ſpes formanda, ſat Lectori, ut mihi videtur, ex prædictis conſtat. Hac & Ego ipſe ſpe deductus jam ſatis fæliciter præluſi, experimentumque cepi, quod votis meis favorabile fuit; Ex duobus etenim Obeliſcis Lateranenſi, & Barberiniano, Sphingibus Villæ Burgheſianæ, Leonibus apud Thermas Diocletianas, duabus ſtatuis in area Capitolina, alteriſque duabus in

1 *Clemens Alexandrinus, Lutetiæ Pariſiorum apud Matthæum Guillimot pag. 555. qui plura de hac re velit conſulat hunc Auctorem.*

in villa Albani, vel meo, vel amicorum meorum labore centum circa circiter characteres promiſcue ſine ullo ordine tranſcriptos Interpreti Sinenſi examinandos tradidi. Ex his ſedecim levi ſatis labore inventos, brevi temporis ſpatio retulit cum ſua quemque ſignificatione, præter illos quatuor, quos jam inveneramus, qui & Inſcriptionis Taurinenſis fuere, & ab omnibus fere aliis hujus gentis monumentis referri dixeram. Horum plurimi ſimiliter multoties repetuntur ubique ſuper eadem monumenta, & ſignificant *Mons*, *decem*, *vetuſtas*, *aqua*, *homo*, *oculus*, *os*, *clavis*, *ſubtus*, *Regina &c.*

Si nullis igitur, vel paucis admodum ſuper monumenta Egypti, quæ Romæ extant, ſignis ſymbolicis hi characteres exquirendi intertexti eſſent, facilis eſſet illorum interpretatio. Experiri itaque rem libet

libet in omnibus Inſcriptionibus hujus generis pure, vel pene pure characteriſticis, quæ in Europa inveniri poterunt, quales plurimas poſſidet unica Civitas Roma, & alias mihi aliunde ex ipſa terra illarum natali Ægypti quærere mihi propoſitum eſt, mediante clariſſimo Medico Donati, qui in illis regionibus juſſu Regis Sardiniæ ad illuſtrandam hiſtoriam naturalem, & has res peregrinatur; non ſolum igitùr ſenſum aliquando integrum ad obſcuriſſimam inter omnes alias hiſtoriam illuſtrandam eruere hoc modo plane poſſibile eſt, ſed & ubi plurimi abundant characteres, & in ipſa ſigna ſymbolica, quæ interveniunt, lumen hac methodo inijci poterit, quod certam ſymboli ſignificationem, nullo dubio interveniente, determinabit. Ad eumdem modum apud nos ſatis frequenter evenit, ut obſoletum, vel ali-

aliter ignotum verbum pluribus aliis in eadem phraſi bene notis intertextum lumine eluceſcat, & innoteſcat alieno. Nec temere forſan ſpem inanem me concepiſſe quis credet, ſi & gloſſarium quoddam in dies augendum, & his ſymbolis explicandis aptum inſtitui poſſe paulatim ſperaverim. Utcumque res evenerit, hæc mihi pro præſenti tempore proponere ſat placet, ſed & exequi ſtatutum eſt, quantum per tempus, & tenuem ſimul rem licuerit; nec ſine certis impenſis hæc fieri poſſunt, nec multum forte ob Bibliopolarum infamem venalitatem proficere licebit, qui inter opera, quæ prodire conantur, obſtetricum Ægyptiacarum more antiquo mares ſuffocant, fœminas, & ea quæ voluptatem, corruptoſque mores reſpirant, fovent, & nutriunt. Si quid ultra librorum titulos noverint,

rint, his fabulam de vetula, & gallina, quæ aurea deponebat ova, legendam traderem; verum ſurdos alloquor, nec mihi hunc apologum, quem mera fors, & fœlix rerum combinatio a me neutiquam præviſa, potius quam induſtria, aut ingenium in hac inveſtigatione adjuvit, ſed aliis, quorum virtus major eſt, & potentia; & ſi alii doctiores, ſimul & valentiores ad hanc rem promovendam mecum concurrere ſuis viribus, & ingenio recuſent, non multum exinde mihi delectamenti, quantumvis hactenus arrideat fortuna, nec Orbi literario emolumenti promittere audeo.

Cæterum conſuetudo illa inſcribendi genis, pectori, dorſo, coxis, & tibiis ſtatuarum characteres Ægyptiis multo familiaris fuit. Herodotus duas ſuis temporibus extitiſſe ait ſtatuas Seſoſtridi erectas, quarum pectora ſuper ab humero ad humerum

rum legebatur hæc inſcriptio: *his humeris hanc mihi terram acquiſivi, quæ mihi in dominium ceſſit* [1], eodem libro idem Auctor deſcribit ſtatuam Sethoni erectam, ex cujus ore, mento, ut opinor, inſcripta hæc verba proceſſere: *quicumque me contemplatur diſcat pietatem colere*. Pocockius in deſcriptione Ægypti loquens de Memnonis ſtatua inſcriptam dicit totam a ſummis coxis uſque ad pedes infra variis variorum hominum ex omni gente nominibus, qui hanc ſtatuam verba proferentem audierant, inter quæ eminet & illud Germanici: imo Romæ adhuc videre eſt frequentiſſimè Statuas Ægyptiacas, quarum dorſo, aliiſque corporis partibus exarantur characteres plurimi ſignis ſymbolicis intertexti. En altera ſatis efficax ratio, cur ſimulacrum hoc Taurinenſe

1 *Herodotus lib. II.*

ſe ad hanc gentem pertinere cenſendum eſt, & illi ſit indubitatò attribuendum.

Quod attinet ad nomen *Shi-Sou-Chi*, quod ex inſcriptione, de qua hic agitur, eruitur, quæ ſit illo nomine perſona deſignata, mei parum intereſt. Sufficit planè ad rem nomen Ægyptiacum eſſe, qualia, vel eadem, vel paulo diſſimilia præbet illius gentis hiſtoria; ut non immorer verò inter varia *Seſoſtridis* nomina a Marshamo ex auctoribus antiquis collecta, ne quidem illis duobus *Shishak* [1] ex Hebræa Biblia, & *Sochis* ex [2] Plinio, quæ quam proximè accedunt, ſi ſimul combinare nomina ab aliis gentibus corrupta liceat, ut inde verum eruatur, invenimus alia duo nomina duorum Ægypti Regum apud Hiſtoricos illius

1 1. *Reg. cap.* 14. *v.* 25. *&* 2. *Paralip. cap.* 2. *v.* 2. 5. 7. 9.

2 *Lib.* 36. *cap.* 9. 10. 11. *Secundum Cod. Riccard.*

lius gentis, quæ adhuc propius huic nomini *Shi-Sou-Chi*, accedunt, *Saſouchis* utique ſecundi hujus regni legiſlatoris, & *Aſouchis*. Cæterum in me non ſuſcipio determinandum utrum nomen *Shi-Sou Chi* huic Simulacro appoſitum ſit illius Regis, qui ſtatuam primitivam, ſive Archetypum erexit, vel divinitatis, aut perſonæ, cui conſecrata fuit. Utroque modo res ſumi poterit, prout Inſcriptionem legere, ordinatis hoc, vel illo modo lineis perpendicularibus, lectori voluntas fuerit.

Si enim nomen in ultimo loco ad morem Sinenſium recentiorum, quem ſequutus ſum in hac Inſcriptione interpretandâ, collocemus, tunc probabiliter nomen *Shi-Sou-Chi* eſt illius Regis, qui Archetypum erexit, & conſecravit; ſi verò ordinem litterarum perpendicularium alium quis eſſe velit, & incipere a

dextro ſerie ſemper continuata uſque ad latus ſiniſtrum Simulacri procedendo, tunc nomen *Shi-Sou-Chi* illius perſonæ poterit eſſe, cui erecta eſt Statua primitiva: Senſus quippe tunc erit, *Shi-Sou-Chi præſenti tempore tanquam Dea veneratur, quæ nimis aut valdè pulchra, prius erat; perſona magna hæc eſt; figura ejus &c.* de hac re judicent rerum antiquarum, & hiſtoricarum periti.

Vocem *perſonæ* characteri nono appoſui; novi benè quod Actoribus Theatricis ſenſu maximè ſtricto ſolummodo conveniat, quamvis & ſenſu hic reddito a Cicerone, ni fallor, uſurpetur; attamen characteris Ægyptiaci ſignificationem veram reddendo melior videbatur, & aptior quam alia quævis: litteralem, & maximè ſimplicem interpretationem volui, quæ Inſcriptioni antiquæ magis conveniebat, de ſenſu pluſ-

pluſquam de ſermonis latini ſtylo ſollicitus; Sed de hac re viderint Grammatici.

Cæterum ut uno intuitu, quæ ſparſim dixi, jam recolligam; & veritates inde enatas Lectori indicem, ſimul & ſubſidia, quæ ad partem hiſtoriæ antiquæ elucidandam, illam Ægypti, quæ obſcuriſſima eſt, ex hac inveſtigatione derivari poterint; non exindè directè colligere licebit primos Sinenſes Colonia facta, ut olim ſæpè fiebat, ex Ægypto manaſſe, quamvis, & hoc ſibi facilè perſuadere quis poterit, qui omiſſa omnia alia conſideratione multitudinem incolarum illius regionis immenſam ab omnibus penè hiſtoricis notatam, ſimul & Oceanum per mare rubrum Orientem verſus apertum conſideraverit cum extenſo, quod olim exercuerunt Ægyptii, commercio; nec exindè ullatenus conſequitur Ægyptios, &

Sinas eadem lingua uſos fuiſſe ; poteſt enim fieri , ut regiones illæ Orientales jam a barbaris indigenis , prout hiſtorici Sinenſes narrant, antè excultos mores , vel ut melius dicam , ante viſos Ægyptios occupatæ fuerint , qui non linguam , quam ante poſſederant, & quæ barbariem ſat adhuc redolet ex monoſyllabis diſſonis penè tota compacta , ſed ſolum ſcripturæ genus hoc characteriſticum , & ex natura ſua univerſale , artes , ſcientias , mores, ſive virtutes morales, & gubernandi vim didicere . Linguam autem primitivam , & barbaram vel puram , vel ſaltem parum immutatam , & politam Ægyptiorum conſuetudine retinere poterant , & ſolum hoc ſibi ab ipſis derivare , & adoptare ſcribendi genus , ratione habita non ad linguam Ægyptiacam , ſed unicè ad ideas his characteribus expreſſas , quos & ſermonis ſui nati-

vi ,

vi, imo etiam & linguæ ſuæ ſyllabis ſeparatim ſumptis eodem tempore applicaverunt. Hoc evenit modo; quod & ſcripturæ generi planè convenit, ut nationum omnium finitimarum Sinenſibus, ſive in Continenti degant, ſive Inſulas propè ſitas occupent, unaquæque characteribus utatur Sinenſibus, & facilè libros horum hominum, ſed nativo ſermone perlegant, quamvis lingua Sinenſis ſit illis planè ignota. Qui characteres numericos omnibus communes Europeis, quos unaquæque gens ſermone ſuo nativo perlegit, conſiderat, hoc quod modo dixi de Sinenſium characteribus facilè intelliget; una mihi ratio ſat fortis modo occurrit, ut diverſam fuiſſe Sinarum, & Ægyptiorum linguam exiſtimem, quod Sinenſes litteras B.D.R.X.Z., quarum aliquæ, ſi non omnes, Ægyptiis familiares erant, non admittant, nequidem pronunciare valeant. Nec

Nec contra hanc opinionem, quam ſat probabilem exiſtimo, quidquam facit, quod tres ultimi characteres inſcriptionis Taurinenſis ad morem Sinenſium pronunciati nomen planè Ægyptiacum reddant, vel quod ad idem recidit, eumdem ſonum utriſque gentibus communem. Omnis enim lingua in monoſyllabas, quæ prima ſunt illius quaſi elementa, redacta, eoſdem propè continet ſonos, qui eiſdem exprimuntur, vel exprimi poſſunt characteribus etiam apud nos, paucis ſolummodo exceptis, qui unicuique genti peculiares ſunt. Non mirum igitur tres ſimplices characteres eumdem propè ſonum reddere; cum nomen proprium exprimant, & cum idem omnibus Europæ linguis quantumcunque diverſis accidat, quando de propriis nominibus agitur; hoc enim nullo modo impedit, quin lingua Sinenſium alia

pror-

prorſus fuerit ab illa Ægyptiorum, præſertim ſi hi characteres lingua Sinenſi, nullum planè ſenſum reddant, quippe cum ut ſenſum aliquem reddant etiam in hac lingua, quæ monoſyllabis penè tota conſtat, eorum non minus, quam aliorum omnium characterum apud hanc gentem uſitatorum ſenſus, & ſignificatio non ſolum dependeat ab accentu, quo variato, variatur ſenſus, ſed & a combinatione cum aliis vel præcedentibus, vel ſubſequentibus, quæ eidem monoſyllabæ ſenſum planè diverſum imprimere, vel omni omnino ſenſu privare poterit. Hinc eidem characteri eumdem quaſi ſonum, ſive ſyllabam ab utraque gente attribui planè poſſibile eſt, abſque eo quod lingua unius ſit illa alterius; imò & in hac lingua Sinenſium notatione inſuper dignum eſt paucas numero monoſyllabas multiplicatis ultra modum, numerum-

que ſenſu, & characteribus, ſine fine combinatione & accentu variari. His conſiderationibus addi poterit, quod linguæ primitivæ, quamvis diverſæ, minus tamen ab origine communi remotæ ſimpliciores fuerint quam linguæ recentiores, & magis ſibi invicem ſimiles.

Jam vero Scriptura hac characteriſtica, & per conſequentiam omnino directam artibus ſimiliter & ſcientiis, quæ poſteriores utique a ſcribendi arte dependent, ab una gente ad alteram derivatis, quid exinde directè inferri poterit facile quis vel minime oculatus percipiet. Jamdudum Ægyptios primos inter omnes homines artium, & ſcientiarum inventores dixere veteres, nec difficili labore omnis, quæ ad Europam ſimul, & Aſiæ magnam partem ſcientia, & rerum cognitio manavit, ad hoc centrum redigi poterit; agitur vero hic de re-

regione maxime diſſita, cujus nulla, vel pene nulla apud veteres cognitio fuit, & quæritur quis cui Ægyptius, vel Sinenſis facem in his rebus prætulit, cum vinculo olim arctiſſimo ſimul uniti hac inveſtigatione compareant. Ab hoc ſcripturæ genere, quæ ſymbolica ſimul, & characteriſtica fuit, ſenſimque a ſymbolis ad characteres proceſſit, cujus uſus, & inventio enatas artes, & ſcientias, non minus quam gentis hiſtoriam præcedat neceſſe eſt, lis plane determinanda eſt, & ſolvendæ ſunt tabulæ. Ut igitur ad ſimplicitatem ſuam, quam in origine habuit, redigatur hoc inventum, memoria ſemper retinendum eſt ſigna ſymbolica, quæ nuperrime apud Mexicanos, invenimus, qui pictura pura ad ideas ſuas exprimendas utebantur, additos poſtea & multiplicatos characteres præceſſiſſe; & hoc ſatis innuunt ob-

obſervationes jam a me Romæ factæ, ubi Obeliſci, quo antiquiores eo pauciores exhibent characteres, & eo pluribus abundant ſymbolis. Hic ſtatus igitur litterarum primus eſto, vel quaſi primus; jamvero facili conſequentia hinc erui poterit Sinas ab Ægyptiis primas litteras, ſeu potius characteres didiciſſe, tum ſolum, & non antea, cum hæc ars quodammodo perfecta fuiſſet, multiplicatis characteribus arbitrariis, ablegatis vero ſymbolis; cum enim maxima ſignorum ſymbolicorum abundantia, quorum olim fuit uſus apud Ægyptios familiariſſimus, adhuc ſuper eorum monumenta appareat, & nulla pene, vel rara admodum horum veſtigia etiam in pervetuſtis Sinarum codicibus, vel aliis quibuſve monumentis illius Imperii inveniantur, neque horum ſymbolorum, vel minimam habeant ideam

Si-

Sinenſes recentiones, Ægyptios primos fuiſſe artium, & ſcientiarum inventores, Sinaſque longe præceſſiſſe ſatis conſtat. Uno verbo, harum duarum Gentium unam ab altera litteras derivaſſe inveſtigatione hac plane demonſtratur; Sinarum verò ſcientia ſecundo ſolum litterarum ſtatui coæva eſt, & primi ſtatus nulla vel pauca admodum retinet veſtigia; conſequentiam vel nullus non videt, & de hac re plura dicere ſupervacaneum eſſet, ſi cum incredulis mihi res non eſſet.

Rurſus ſi Sinarum gens colonia ab Ægypto facta manaſſet, vel artibus, & ſcientiis inveniendis, & ſtabiliendis Ægyptios præceſſiſſet, Pyramides, Obeliſcos, ſtatuas coloſſales, & alia hujus generis vaſta monumenta ſignis ſymbolicis exarata apud eos inveniſſemus. Humanæ naturæ, artiumque ſtatui infantili ſat hujus generis conveniunt, quibus ſtupefiunt homines

ru-

rudes, opera, ut pueri magis delectantur monſtroſis fabulis, quam ſimplici veritate, quantumvis compte fuerit, & eleganter repreſentata; quid autem, vel cujus rei memoriam apud Sinas invenimus, quæ antiquitatis ab ipſis ſibi vindicatæ nobis fidem facit? nihili prorſus, niſi quod ab Ægypto jam florenti facilè ſatis una cum mercibus inferri poterat, multarum rerum minutiorum formas, & modulos, ornamenta, quibus puerilia multa ex ſuo ſenſu deprompta addidere, Architecturæ ſatis modicæ accomodata, omnis generis inſtrumenta, artes, ſcientias, quales tunc olim extitere, imperii, populoſque gubernandi rationem, ſcripturæ normam, etiam & hiſtoriam Ægyptiacam, quam ſuæ præviam, quâ in altiora protraheretur tempora, intexuiſſe ſatis evidenter probavere Academici jam memorati; nihil autem quod nonniſi

niſi Ægyptum ipſam viſitando viſu locali innoteſcere potuerat, non idolatriam, non ſculpturæ artem ad meliorem Ægyptiorum normam, non muſicam niſi rudem ſatis, & nautis convenientem, non ſepulturæ ritum Ægypto peculiari quadam ſuperſtitione ſacrum; uno verbo mores nullos civiles, quæ cæremoniis exterioribus exprimuntur, vel penè nullos, ſed eos ſolum, qui ad culturam animi, virtuteſque morales pertinent, inter quas apud Sinas maximè eminet erga Parentum mortuorum memoriam rereverentia, adoptato ſpiritu ſuper hac re Ægyptiorum, non ritibus externis, quos nunquam viderant, & quorum nulla ſunt apud Sinas veſtigia: neque ſi navigatione longa, & appulſu ad oras maritimas longe diſſitas res, ut ſatis probabile eſt, effecta fuerit, ullus ſane, qui has duas gentes noverit, Ægy-
ptios

ptios a Sinis excultos dixerit, ſi peritiam, & audaciam veterum Ægyptiorum comparaverit cum timiditate, deſidia, & imperitia in rebus nauticis, quæ uſque ad hodiernum diem Sinis dominantur, quod & nautis Europeis ſatis notum eſt.

Quid autem ante cognitam ſcripturam de hiſtoria Sinenſium plane fabuloſa hoc intuitu fit, illa utique, quæ diluvium longe antecedere a quibuſdam, qui *veteres avias nobis*, ut ajunt, *de pulmone revellunt*, piè creditur, vel quæ ſit illis fides habenda doctis ſimul, & indoctis judicandum relinquo. Ad Ægyptum igitur redit lis contra Scripturæ Sacræ chronologiam, & veracitatem ſuſcitata. Cauſa ſuper hac re finita eſt, & inter Sinas ſibi refugium quærere mera jamdudum adverſarios deſperatio pepulit; quid enim ex monſtroſis Ægyptiorum fabulis, & tot commentitiis dyna-

ſtiis

ſtiis eruere vis humana potuerit ſatis jam experientia innotuit, & qui ſpe inani deluſi jam has res in hunc malum finem ſcrutinio ſubjecere acus leve contra triticum apparenti mole deceptos ſe ponderaſſe experti ſunt. Et tamen hi, quos altera generatione jam elapſa ſibi contrarios in hac re habebat religio, majori robore virtuteque pollebant, quam decem ſciolorum unita vis, qui nunc ſolutos captant inter convivia riſus, quales degener hoc parturit ſæculum, dicteriis ab ore ad os tranſeuntibus leviter, non, ut olim, ſcientia firmiter armatos. His irritis adverſariorum conatibus, qui ſatis rem per ſe probant, accedit argumentum ex phyſica deſumptum ſatis palpabile, ut mihi videtur & demonſtrativum. Tempore Myris Ægypti Regis ſufficiebat altitudo quindecim cubitorum, ut inundaretur a Nilo Ægy-

ptus,

ptus, nunc ob elevatam terræ ſuperficiem annuis a ſuperioribus locis abreptis, & depoſitis ex aqua ſedimentis, vigintiquatuor, vel vigintiquinque cubiti neceſſarii prorſus ſunt ad inundationem præſentem, ut ex Auctore recentiori nuper collegi: Ergo vel olim, ſi in tempora, & tot annorum millia, quæ Scripturæ Sacræ chronologiam anteunt, evehamus oculos, Ægyptus aqua maris penitus oppleta, & immerſa non extitit, vel præſenti ætate ab Ægypto excluderetur Nilus, & inundationes annuæ jamdudum Soli elevatione impeditæ, & reſtrictæ ceſſaſſent. Hæc cum ita ſint ſpes mihi non parva incidit, quod & pretium mei qualiſcumque in hac re laboris ut ſit quam maximè volo, tot imperitos ſimul & imprudentes Viros, Philoſophos ſanè non dicam, vitæ tam brevis, quæ nobis hic obtingit, finem & pretium planè ignoran-

rantes Mundo perenni, ut olim Romani in hac re ſatis hebetes *Romæ Æternæ*, libationes fundunt, ad rationem ſanam denique, & ad mores integros reverſuros. Utcumque ſit, cauſa ſub oculis poſita, & quaſi domi rurſus, ex quo in Ægyptum redierit, a regionibus, ubi exulaverat, tam diſſitis reportata, non ultra fabulis ab extremo terræ petitis ſimplices, & imperitos deludere ulli hominum, cujuſvis ſit in re litteraria famæ, nominis, aut virtutis vel potentiſſimo licebit. Hæc ſunt, illuſtres Academici, quæ in præſens tempus vobis communicanda ſumpſi, interim inveſtigationem hanc exitu ſat fælici hactenus donatam, ulterius quantum progredi per tenuem mihi vim fas erit, promovere, & perficere inſtituens. Conſiliis veſtris, & approbatione munitus multa ſibi promittere poterit, vel in his rebus peritiſſimus,

præſertim vero, qui his auxiliis, quam maximè indiget, ut alia pluſrima Ægypti monumeuta aſſequi ſimiliter interpretatione data, poſſit, & Chaldaicarum forſan inde litterarum, quarum jam nonnullas ſuper Obeliſcos animadvertit, derivationem evincat.

Datum Romæ ſeptimo Idus Septembris anno 1761.

Humill. & Addictiſs. Servus
TURBERVILLUS NEEDHAM
ex Societate Regia Londinenſi.

EXTRAIT

D' une lettre de Monſieur Dutens Agent d' affaires de ſa Majeſté Britannique à la Cour de Turin en reſponſe à celle, que l' Auteur lui avoit adreſsé pour le prier de faire certaines recherches ſur l' origine du Buſte, dit d' Iſis, à la cour de Turin.

J'Ai reçu vôtre lettre du 29 d' aouſt, & j' ai été charmé d' apprendre la ſuite du ſuccès de vos recherches ſur les caracteres du buſte d' Iſis. Je l'ai communiquée tous vos amis .... tous ſe rejouiſſent ſincerement de la decouverte .... j' ai été hier chez S. A. R. Le Duc de Savoye; vous ne pouvez vous imaginer

avec quelle bonté ce Prince a reçu cette marque de vôtre attention, il m' a bien chargè de vous remercier, de vous dire, qu'il étoit bien aiſe, que vous lui euſſiez fait part de vôtre ſuccés, & qu'il auroit beaucoup de plaiſir à voir votre Diſſertation ..... il m' a informé, que le buſte d' Iſis en queſtion avoit été apporté de Rome à Veniſe du tems des Gots avec la Table Iſiaque, que vous connoitrés; de Veniſe il avoit paſsé à Mantoue dans la Maiſon de Gonzague, de qui la Maiſon de Savoye l'avoit eü, ainſi que toutes les autres antiquités Egyptiennes, qui ſont à l' Univerſité; en fin voyez ce que Montfaucon dit de

de la Table Iſiaque, le buſte d'Iſis à ſuivi le meme ſort. C'eſt auſſi ce que le Roi en a dit au Marquis de Fleury, que j' avois priè d'en entretenir ſa Majeſté....

A Turin 9. de Sept. 1761.

FIN.

Pag. 27. *lin.* 13.

pro exprimuntur *lege* exprimitur

Pag. 34. *ad finem ſic corrige*

Religio enim numinis falſi Foe, nonniſi poſt Chriſtum natum, ipſis hiſtoricis illius gentis omnibus teſtantibus, ſexaginta quinque annis ab Indis invecta in Chinam penetravit.

APPROBATIO

JUſſu Rm̃i P. Ricchinii Or. Præd. S. P. A. Magiſtri, legi Opuſculum cui titulus: *De Inſcriptione quadam Ægyptiaca Taurini inventa &c.* in quo cum nihil deprehenderim, quod Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur; contra verò multa in eo eſſe animadverterim, quæ ad Antiquitatis cognitionem & literariæ Reip. commodum valere plurimum poſſint; cenſeo in lucem edi poſſe. Romæ ex Colleg. Romano 17. Septembris anno 1761.

Contuccius Contucci Soc. Jeſu.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Pat. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

D. Archiep. Nicomed. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Mag. Sac. Pal. Apoſt. Ord. Præd.

LaEgy.
N375d
63611
Author Needham, Turberville
Title De inscriptione quadam Taurin...

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU